



Locutio Dei Ad Cor Religiosi

Pawłowski, Daniel

Dilingæ, 1686

III. Meditatio: Conclusio Exercitiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60052](#)

Trinitatem, obstaculo nonnullis fuisse post mortem, ne statim admitterentur ad visionem Dei: comprobat id P. Nierembergius ex historia Collegij Complut. lib. 2. doctr. 13. cap. 78. relatione quadam de P. Joanne Fernandio, qui Romæ Theologiam docens, dum materiam de SS. Trinitate traderet, exarsit ejus videndæ desideriō, raptusque in spiritu, post multa sibi admodum gravia vidiit in horto quodam per ameno animam quandam pellucidè & radianter vestitam, à quā didicit, quod esset anima unius Fratris nostri, qui in Societate septennio vixit, & propter defectum desiderij videndi SS. Trinitatem, ejusdem desiderij purgatorium in loco pateretur.

DIE I OCTAVÆ MEDITATIO III.

Concludens Exercitia Spiritualia

Directorium nostrum in Exercitia S.P. N. præscribit quædam commendanda ijs, qui Exercitia peregerunt, & ab ijsdem cordi sollicitè imprimenda, ad quæ deserviet hæc Meditatio.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.
PRÆ.

PRÆLUDIUM I. Statue te in præsentia
Dei , te intimè penetrantis & pérvidentis.

PRÆLUDIUM II. Pete à Deo gratiam ,
per quam tibi Exercitia Spiritualia , quæ fe-
cisti , cedant in salutem æternam.

PUNCTUM I. Audi dicentem Deum per
S. Paulum ad Rom. 2. Inexcusabilis es , ô homo.
Et considera , nullam te coram Deo post hæc
Exercitia excusationem habiturum , si vitam
tuam juxta rationes æternas , juxta conscienciam ,
vota & regulas religionis non direxe-
ris : non poteris dicere ; ignoravi , lumen
Dei non habui. Non poteris dicere ; non po-
tui , gratiam Dei excitantem auxiliantemq;
non habui ; solum hoc debebis fateri , nolui.
Vide ergo , ne sis similis illis Ethnicis Sa-
pientibus , qui cum cognovissent Deum ,
non sicut Deum glorificaverunt , sed eva-
nuerunt in cogitationibus suis. Cognovisti ,
quid exigat à te Deus , quid religio , quid tu
ipse : vide , ne evanescas ; alias nullam ex-
cusationem in die judicij habebis. Propone
igitur , omnia , quæ didicisti , & in quibus
convictum te sensisti , observare deinceps.

II. Audi Christum Dominum dicentem ,
Luc. 12. Servus , qui cognovit voluntatem Domi-
ni sui , &c. & non fecerit , vapulabit multis.
Hoc audiens considera , longè majorem
pœnam seu damnationem tuam fore , si post
hæc Exercitia malus , in servitio Dei negli-

H 2 gens ,

gens, tepidus & plebeius, ac vix plebeius
Dei servus fueris, quām si nunquam ea fe-
cilles, quia quōd majora alicui Deus concedit
beneficia, eō magis illi displiceret, quōd ab
illo contra se committitur: cūm ergo tan-
tum tibi Deus per hæc Exercitia præstiterit
beueficiū, vñ tibi, si ad pristinas tuas re-
dieris consuetudines! horrendum est illud
magno cuiusdam viri dictum: *Quem Exerci-
tia S. Ignatij non corrigunt, illum nec ipse corriget
infernus.* Scias, inter signa reprobationis
hoc esse, si ad tantum lumen Dei, velut no-
ctua cæcutias, actum de te est, si non dux-
ris religiosius vitam, & ne actum sit, vide,
quomodo deinceps in omnibus te gerere de-
beas: renova igitur proposita tua, & in pra-
xin deducere stude.

III. Audi Angelum jurantem per viven-
tem in sæcula sæculorum: *quia tempus non
erit amplius, Apocalyp. 10.* Et considera,
quōd hæc Exercitia Spiritualia fortè sint ul-
timum medium, quo ad te excitandum, &
ad se alliciendum usus est Deus. Mirabilis
est Deus in consilijs suis, quōd te adhuc to-
leraverit, & occasionem tantam ad bonum
lægitus sit. Agnosce bonitatem Domini
Dei tui, sincerè te amantis, & vide, ne di-
catur tibi: *Curavimus Babylonem, & non est
sanata; derelinquamus eam.* Venient tibi in-
mentem in morte Exercitia hæc; stabunt
singulæ

singulæ meditationes ante oculos , & lo-
quentur tibi ; an non potuisti ? quis te impe-
divit : cognosces , sed serò , amisum bonum ,
& totâ non recuperandum æternitate . Ne
ergo ita eveniat , propone firmissimè , quæ in
Exercitijs proposuisti , & statim executioni
mandare stude .

COLLOQUIUM . Et quid jam tandem , ô
bonitas DEI mei , mecum ages ? fecisti mihi
ultra spem & exspectationem meam ! detru-
dendus jam eram ad infernum , & ecce , me
misericordissimè erexit , illustrâsti , tempus
concessisti ! O fons misericordiarum ! quo-
modo non serviam tibi ? Si est aliqua venu-
la in corpore meo , quæ abhinc non serviet
tibi , erue eam . Facesse ergo præterita vita !
jam me Dominus Jesus in novitate vitæ vult
ambulare . Domine , qui dedisti velle , da &
perficere ! Tibi sit honor , & gloria in perpe-
tuas æternitates , ex me , & ex omni creatu-
ra , Amen , Amen , Amen !

In fine , Pater & Ave , Anima Christi , &
Te Deum laudamus .

